



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Litteræ Capituli Remensis ad Abbatem Clarevallensem, qui est in
Episcopum electus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

& conditor universitatis, in cuius ditione cuncta sunt posita, pro nobis egere dignatus est & mendicare, in qua venit non ministrari sed ministrare & animam suam redemptionem dare pro multis, in qua causa nostræ reparationis tot indigna pertulit, opprobrium hominum & abjectio plebis factus, & ad ultimum morte turpissima condemnatus. Christo igitur pro nobis in carne passo, pro nobis in cruce clavis confixo, Doctor amandissime, compatiamur: quoniam si compatimur, & conregnabimus. Valete, & nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quid autem super his animi geratis, vestrarum occursu litterarum desideramus & instanter petimus edoceri,

Chronicon Alberici ad annum 1194. Magister Michael Decanus Parisiensis, vir theologus & religiosus, in Patriarcham Hierosolymorum est electus; sed antequam illuc iter ariperet, factus est Senonensis Archiepiscopus.

LITTERÆ CAPITVL I
Remensis ad Abbatem Claravallensem,
qui est in Episcopum electus.

B Onorum omnium elargitor, qui fidelium actus in An. 1204:
suae beneplacito voluntatis disponit, actiones & voluntates nostras ita reddidit uniformes quod post felicis memoriae Vvillelmi Archiepiscopi Remensis vos in patrem elegimus & pastorem. Vnde gaudet Ecclesia, serenissimus Rex Francorum plurimum conlaetatur, & plebs universa congaudet, quod Claravallensis Abbas obtinet sedem Remensem, qui virtutum claritudine metropolitanam faciet Eccle-

Q iij

fiam resulgere. Vestram igitur sanctitatem confidentius exoramus quatenus electionem recipere dignemini, nobis terminum aliquem praesigentes in quo pro nobis venire honorabiliter debeamus.

Responsiva electi electioni renuntiantis.

Licet fueritis in eligendo concordes, in electione tamen serie oberrastis, cum illum duxistis ad secularia revocare qui jam postposito Marthae ministerio, appetit celestia contemplari. Ne igitur in vanum ulterius laboreis, vobis tenore praesentium innotescat quod electioni penitus renuntio, nec unquam alicujus honorem suscipiam præsulatus.

Litteræ iterum Capituli ad eundem.

Ecclesia Remensis fracto archiepiscopali temone sine reniige naufragatur. Et iccirco vos elegimus in Archipræsulem & pastorem, quoniam in alio nequimus esse concordes. Vnde miramur quod electionem tam concorditer factæ renuntiare duxistis, non attendentes quod beatissimi Nicolaus & Martinus conservando regulæ monasticæ disciplinam in pontificalibus cathedris resederunt, in quibus multa caritatis opera exercentes, signis & miraculis coruscabant, & hodie ipsorum merita noscuntur in domo Domini relucere. Paternitati vestrae igitur confidentius supplicamus ut votis nostris clementer annuere dignemini & electioni factæ dilatione postposita consentite. Alioquin per sumnum Pontificem cogemini subire archiepiscopale onus quod ab subi- ciles & humiles persuasiones fidelium suscipere de- negatis.

Responsiva electi contradictientis.

Cum nuper inter Claravallensis ordinis fratres in pace solita permanerem, fratrum regimini ex af-

sumpto administrationis immo servitutis officio su-
perintendens , insufficientia meæ vestris litteris
intimasti quod me in Archiepiscopum elegeratis;
cujus electioni renuntiavi penitus , prout meis litteris
potuisti evidentius intueri. Sed postmodum
ex parte universitatis vestræ fuerunt mihi litteræ
apportatae in quibus continebatur quod me per
summum Pontificem cogeretis. In quo plurimum
fui secundum vestrum hominem conturbatus ; quia
non decet ordinem monachalem in archiepiscopali
cathedra residere , & maximè cum juxta nominis
interpretationem monachus unus tristis dicatur , &
monasterium statio unius . Non esset igitur mutatio
dexteræ excelsi , sed fieret ordo retrogradus & in-
gressibilis ad mundana. Ceterum qui monachus in
urbe , vel qui debet agere solitarius inter plebeias
catervas , diceretur quidem à multis : Non dimisit
seculum ut transitoria fugeret & caduca , & iterum
velut canis immundissimus revertitur ad vomitum ,
& qui consueverat legumina sumere cum actioni-
bus gratiarum , nunc mella fastidit & cibaria deli-
cata , super palafredum rotans undique phaleratum ,
inebriando se vino , in quo est luxuria , loco aquæ
simplicis quam sumi prædicat regula monachalis.
Nec tenet similitudo quam de beatissimis Nicolao
& Martino proponitis : quia tunc non habebant
castella & arces Ecclesiæ cathedrales , nec incede-
bant Pontifices loricati. Sed nunc propter super-
abundantiam temporalium rerum flamma , ferro ,
cæde possessiones Ecclesiarum Prælati defendunt ,
quas deberent pauperibus erogare. Quapropter
electioni renuntiavi & iterato renuntio , cupiens
sedere ad pedes Domini cum Maria , quicquid Do-
minus Papa referat ; qui licet ligandi & solvendi
habeat potestatem , non tamen debet nec valet san-
ctum spiritum prohibere.

Q. iiiij